

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Rituale Sive Obsequiale Ecclesiae Et Dioecesis
Constantiensis**

Constantiae, 1686

Benedictio fontis, si non fuerit benedictus, vel ubi non habetur
baptisterium

[urn:nbn:de:bsz:31-132849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-132849)

Benedictio fontis.

Proinde rogamus te, Domine Deus noster, ut hanc creaturam Salis sanctificando sancti ✠ fices, benedicendo bene ✠ dicas, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in visceribus eorum, in nomine eiusdem Domini nostri Jesu Christi. Qui venturus est iudicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem.

BENEDICTIO FONTIS, SI NON fuerit Benedictus, vel ubi non habetur Baptisterium.

EXorcizo te creatura aquæ, in nomine Dei Patris ✠ omnipotentis, & in charitate Jesu Christi ✠ Filij eius, & in virtute Spiritus ✠ sancti, & si quod phantasma, si quæ virtus inimici, si quæ incurfio Diaboli lates, præcipio tibi, eradicare, & effugare ab hac creatura aquæ, ut qui in ipsa baptizandi erunt, fiat eis fons aquæ salientis in vitam æternam, regenerans eos DEO Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, in nomine eiusdem Domini nostri JESU Christi, qui venturus est iudicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem.

Amen.

Ore-

Benedictio fontis.

9

Oremus.

EXaudi nos omnipotens Deus, & in hujus aquæ substantiam tuam immisce virtutem, ut abluendi per eam, & sanitatem simul & vitam mereantur æternam. Per Dominum nostrum JESUM Christum, Filium, &c.

Post hoc mittat Chrisma in fontem per modum crucis dicendo.

Sanctificetur & fœcundetur fons iste renascentibus ex eo in vitam æternam in nomine ✠ Patris, & ✠ Filij, & Spiritus ✠ sancti, Amen.

Posteà utatur modo communi baptizandi, pro qualitate baptizandorum. Infante verò baptizato, talis aqua in flumen aliquod, seu alium locum effundatur, ne pedibus, ob reverentiam Sacramenti baptismatis, conculetur.



B

RU-